

K

.A539

IMS

S



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/juspublicumetfeu00anch>



2. α. - 4

Q. D. B. V.

JUS PUBLICUM

ET

FEUDALE

VETERIS NORVEGIÆ

EX

ANTIQVO JURE AULICO

Hirdsraa,

IN

COMPENDIUM ET SYSTEMA

REDACTUM,

DISPUTATIONE INAUGURALI PUBLICA

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS,

TUETUR

MAG. JOHANNES PETRUS

ANCHERSEN,

PHILOS. PROFESSOR, &c.

RESPONDENTE

NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO


ANDREA REJERSEN, Phil. Bacc.

AD DIEM V NOVEMBRIS MDCCXXXVI. h. a. m. f.

IN AUDITORIO SUPERIORI.


HAFNIÆ,

Typis Regiæ Majestatis & Universitatis Typographi
Joh. Georgii Höpffneri.



Imprimatur
A. HOJER.

**REX
AUGUSTISSIME
DOMINE
CLEMENTISSIME!**



Jus Publicum & Feudale veteris
Norvegiæ, quod Nomini TUO & Majesta-
ti, **CHRISTIANE** Regum optime, hu-
millimè dedico atqve devoveo, quid aliud est,
qvàm

quàm observationum de Solduriis accessio, ex præcepto ergo Juris, *accessorium sequitur suum principale*, imo, quod inopiæ & necessitatis est ingenium, ut non, quæ velit & cum optet, sed det, quæ, & quando potest, partem etiam observationum Soldurearum bonam atque magnam antevertit.

Quo autem se potius conferat Jus Aulicum, quàm in Aulam ad mores Domini integerri-
mam, in cuius sinum Jus Publicum securius confugiat, quàm TUUM, è cuius voluntate totum pendet, & cuius in manu omne est repositum atque quiescit. Cui denique prudentiæ Majorum legislatoriæ ac Magnificentiæ in conferendis Feudis & ceremoniis, æri quæ inciderentur dignissimis, monumenta lectissima rectius conferantur, quàm TIBI, DOMINE, qui prudentia superas, magnificentiam virtutibus geminas atque nobilitas.


Cui obsequio meo, opto, ut existimes constare rationem, cum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus TUIS cupiam.

Nomini & Majestati Tuæ

devotissimus

Subditus hæreditarius

JOH. PFTR. ANCHERSEN.



J. J.

Proœmium.

De veteri Jure Publico & Feudali Daniæ & Norvegicæ nemo hæctenus, quod sciam, si legislatores ipsos exceperis, data opera ac ex instituto, ut dicimus, qui scripserit, occurrit autor. Seu quia ita natura comparatum est, ut proximorum incuriosi longinqva sectemur, seu quod omnium rerum cupido langvescit, cum facilis occasio est, seu quod differimus tanquam sæpe adituri, quod datur tractare, quoties velis aggredi: & incidisset forte nunquam hæc res in mentem mihi, nisi ex familiariori cum illustrissimis Juris publici & feudalis in Saxonia Doctoribus convictu didicissem, eos in illa persuasione enutritos esse & consenuisse, nullum apud nos unquam fuisse jus feudale & publicum, aut si quid ultimis temporibus in usu fuerit, illud omne Germanis nos acceptum ferre. Dedi itaque Majorum gloriæ, Patriæque communi eam non ingratham, ut spero, locavi operam, quæ jus aulicum Norvegicæ antiquum (HIRD

SKRAA) dictum monumentum antiquitatis nobilissimum, nexuque publici & feudalis exemplar absolutissimum, Halæ anno 1729. in compendium redegit brevissimum, terminis ex jure feudali usus illis, qui maximè Germanis notitiam harum legum panderent & redderent faciliorem. Excellentissimus enim Halensis Academiæ Cancellarius Dominus de LUDEVIG, cum, quæ summa fuit Viri illustrissimi in me benignitas, ex instructissima, quâ merito superbit Fridericiana Academia, Bibliotheca ipsum harum legum codicem commodaret, nec illum viro diligentissimo, ut apparuit, ignotum, nunquam tamen induci potuit, ut crederet, publica & feudalìa hisce legibus contineri, cum nempe versio, quam solam intelligunt exteri, DOLMERIANA ita sit latina, ut nulla ratione sit juridica, ita ornata, ut non sit vera versio, sed paraphrasis liberrima, ne quidem formulas sacramentorum observans, atque à cetero textu distingvens, ut frustra inde quidquam auxilii speres, ipsis adeo juris peritorum auribus insveta & clara minus, minusque articulatum objecta. Huic ergo ut occurrerem malo, vocabula, quæ potui, Juris Romano-Germanici, in Compendio lemmatis & indicibus observationum de SOLDURIIS subjuncto, adhibui omnia, sed quod summariorum & compendiorum fatum malum est atque ingratum, a plerisque negligi, paucis legi, a paucioribus verò intelligi, idem si excerptis juris publici & feudalis veteris Norvegiæ contigerit, queri nolo, cum non laboris, qui in compendiis major & ingratus, sed impenfarum & sumtuum fuga causa brevitatis fuerit atque neglectus. In hac igitur solennitate temporum dum beneficia, in Majores a summo Numine collata, alacres & læti celebramus, dumque Theologorum vocibus majorum in recipienda vera religione pietas totam urbem personat, justitiam quoque eorundem, inque legibus ferendis prudentiam honorifice & meritis laudibus prædicare Themidis clientes decet. neque graviore exemplo atque argumento invictò magis famæ

apud

apud exteros gentis fidissimæ adstruere, aut a feritatis barbariæque, quæ hodie quoque a nonnullis injustè premitur, macula liberare immeritam ullus potuerit, quam sapientissimis hæc legibus illa ætate, quæ caliginem ceteris gentibus induxerat, in diam lucem clarissimamque omnibus latinæ lingvæ gnaris, vocibus juris prudentiæ receptis obviisque maximè, planissimè propositis. In hanc rem digna est, quæ legatur apud THORMODUM TORFÆUM *Hist. Norv. part. 4. libr. 4. cap. 33. in fine pag. 246.* de WILHELMO Cardinali Papæ Legato historia, cædro dignissima, quæ narrat, quomodo Purpuratus hic Ecclesiæ Pater Regem Norvegiæ HACONEM HACONIS (Hagen Hugensøn) Sacro chrismate inauguraturus, ordinem & splendorem Aule Norvegiæ mirari satis & laudare non valuerit, atque ad legum consuetudinumque compositionum ingenium obstupuerit, cum tamen Angli, inde enim venerat, obliqua invidia stimulati & in transversum acti horrorem & metum itineris Norvegici ei antea incutere adnixi, feritatis & immanitatis barbaræ Norvegos subdole apud eum insimulare frustra fuissent conati. Interim probè video, nihil me adhuc inter manus habuisse, cui, ut PLINIUS loquitur *l. 2. Ep. 5.* majorem sollicitudinem præstare deberem, nam in ceteris existimationi hominum diligentia tantum & fides nostra, in hac etiam pietas subjicietur, inde & sub manus crevit opus etymologicis expositionibus vocabulorum antiquæ lingvæ Norvegiæ additis, officiisque & feudis cum jure Romano Germanico collatis, dum ornare Patriam & amplificare gaudeamus, pariterque & defensionem ejus deservimus & gloriæ.

CAPUT. I.

De antiqvitate & dignitate hujus juris.

Meritò laudavit atqve miratus est WILHELMUS CARDINALIS nitorem & splendorem Aulæ Norvegicæ illo tempore, cum etiam hodie stuporem nobis incutiat & aciem perstringat animum. Certus enim sum, nullum jus ullius Europææ gentis scriptum extare, quod antiqvitate, (si quæ hujus est prærogativa,) prudentia, & ordine cum hoc nostro certare queat. Nam ut taceam Germanos, qui ante quatuor hæc proxima secula nullum feudum nisi Aulicum habuisse dicuntur, vel summis juris publici & feudalis Doctoribus, ipso etiam magno Domino de LUDEVIG teste, in collegio in Strykii examen juris feudalis mssito *ad questionis 2dæ capitis 1mi verb. adscribit*, & qui, si quid habent, omnè Longobardis se debere fatentur. Nam quæ ab ætate Carolingorum atqve proximorum Imperatorum collegere MARCULFUS, SIRMONDUS, BALUZIVS, GOLDASTUS, LINDENBROGIUS, misera fragmenta sunt & naufragii tabulæ dissolutæ, quæ de solis tamen loquuntur feudis Aulicis, cum omnes Principes & nobiles ipsorum Juris Consultorum Germanorum testimonio ea tempestate fuerint *Lansatici* (3: veri subditi) nec cum hoc nostro jure in comparisonem venire potest jus feudale *Longobardicum*, cum hoc consuetudinarium (3: jus proprie vim legis non habens) utpote quod a compilatoribus, ut dicuntur, ex Veterum consuetudinibus, tantum fuerit privata auctoritate collectum; nostrum verò Regem Norvegiæ Glorioso-

riosissimum, eundem Christianæ religionis, legumque
 saluberrimarum in regno suo autorem OLAVUM *Stum*
 legislatorem agnoscit: jam si compilatores cum Rege
 ipsis Catholicorum factis inter Sanctos relato conferre
 non erubescis, etiamne initia seculi XI^{mi} (nam anno
 1030 Sticklestadiensi celeberrima pugna occisus est,) cum
 medio seculi XII^{mi} conferre audes? GERHARDUS enim
 NIGER & OBERTUS de ORTO consules Mediolanen-
 ses, qui primi, ut ex 2 F. 1. & 2 F. 25. patet, de consuetu-
 dinibus Longobardicis consarcinandis cogitarunt, anno
 Ch. 1150. florere, atque ita integro seculo, & quod ex-
 currit Longobardicas consuetudines superant nostræ
 leges: nec quidquam autoritati illarum detrahit, quod
 diu postea eas auxerit, emendaverit, edideritque MA-
 GNUS HACONIS (Mogens Hagen Hagensen) commu-
 niter *Lagebættre legum emendator* dictus, nempe circa
 annum 1273. Nam consuetudines Longobardicæ ne-
 que ante hoc tempus absolutæ aut omnes conscriptæ
 fuerunt, cum à ceteris, qui subsequenti tempore spe-
 ciales quasdam consuetudines adjecere, *Gerhardus &*
Obertus sæpius ut testes citentur; Imperatorum autem
 constitutiones adjecit, & jus feudale corpori juris civi-
 lis primus junxit HUGOLINUS Jctus. Cum tamen le-
 ges nostræ Norvegicæ a tempore Sti OLAI semper
 fuerint in usu, easque in HACONIS MAGNI PATRIS
 inauguratione laudaverit celebraveritque WILHEL-
 MUS Cardinalis, & facile esset ex ipsis juris Longo-
 bardici fontibus & primis regulis probare nostrum jus
 re ipsa illud *Antiquissimum* esse, quod 1 F. 1. §. I. indica-
 tur. Nam quidquid de annis a Justiniani tempore 568.

qvo Italiam ingressi sunt Longobardi, ad annum Ch. 1150, qvo vixere compilatores, atqve ita 600. annorum spatio afferunt Interpretes, nullum hic aliud antiquissimum intelligi potest, quam de illo tempore, qvo sic erat in Dominorum potestate connexum, ut quando vellent possent auferre atqve ad se recipere rem in Feudum a se datam. qvod ita rectè interpretatur glossa antiquissimum jus Feudorum hoc fuisse, qvo Domini pro animi sui arbitrio Vasallis feudum possent auferre: Arbitraria itaqve vel potius precaria fuerunt ab initio Feuda, vid. Gloss. ad h. l.

Sed talia fuere omnia feuda Norvegica, ut postea patebit, nempe ad diem & gratiam, adeoque vel ipsis Compilatoribus fatentibus, antiquissima. Hujus generis feuda minus qvoqve imperio noxia fuerunt, fecus ac videmus in feudis hæreditariis, ubi tractu temporis ipsis Dominis Vasalli fuere formidini. prudentiæqve Imperatoriæ veterum Regum argumentum perhibent luculentum, qvod non fuerint passi feuda hæc, ut in Germania atqve alibi, in hæreditaria degenerare, cui malo, florentissimo alias imperio Romano-Germanico ob divisionem territoriorum pernicioso, obicem ponunt, tantum non ubiqve sapientissimæ hæ juris publici & feudalis leges, qvod ex systemate compendiario hoc, qvod edendum suscepi, clarius postea elucescet.

Hirdskraa autem LL. dicuntur ab Hird aula cujus thema Herd (familia) Hired in familiam susceptus, & rø hired, in familiam adscribere, ut ex Spelmanno observat DOLMERUS not. in cap. 1. pag. 392. & Skraa leges scripto comprehensæ ex antiquo Norve-

vegix verbo: Eg sraae (scribo) Eg sraade (scripsi) in-
 fin. at sraae (scribere) ita infra in cap. 20. V. D. pag. 131
 inter Cancellarii officia memoratur, quod debeat sraae
 omnia bona, quæ Coronæ adjudicantur, unde proprie Au-
 læ scriptum, sicut Lausraae, collegii scriptum sc. sta-
 tutum, & Gildesraae, convivii scriptum, leges intelli-
 gunt, Danice dicuntur. Synonyma vero hujus legis
 sunt Hirdlag, ut principio capituli Imi. Norv. Gaardsret,
 jus Aulicum Danicè. Perlatæ autem ultimo sunt hæ
 leges in foro Frostensi, plausu totius fori solenni (Thing-
 tæffe) sicut Baabne-Tag, armorum strepitus, quo dissen-
 sum, consensumvé indicabat concio ad genium plane
 veteris Germaniæ tempore TACITI (Germ. c. II. v. 7.)
si displicuit sententia, fremitu aspernantur, si placuit, fra-
meas concutiunt, & Hist. V. c. 17. v. 5. ubi sono armorum
tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta.

Quantum quoque ex accuratius perspectis ipsis
 LL. liquet, Homines Regis ut in Gallia quoque ho-
 die dicuntur, 3: fideles ejus Haand-Gangne LL. hisce
 ferendis figendisque adfuerunt, cum de se in prima per-
 sona dicant cap. 1. *Fam cum omnes incolæ multum Regiæ*
Majestati debeant obedientiæ & officii, & nos præcipue ejus
homines, (ita Haand-Gangne semper postea interpretor)
qui ex omnibus incolis electi sumus in ejus aulicum & secre-
tum ministerium, resque omnes, quas nobis commiserit ad
inconcussam, perfectam omniumque animi virium obstringi-
mur fidelitatem. Dei etiam iram in nos provocamus jur a-
mentis nostris, fidemque Christianam violamus, si in ulla re
fraudem ei fecerimus.

Ad celebritatem quoque famæ harum LL. facit;
 quod, in aula, perpetuo fuerit Regum consensu rece-

ptum, festo Natalitiorum Christi (Juel) legem aulicam quotannis omnibus hominibus Clientibusque Regis (nam plerumque eo tempore aderant) deberi prælegi ac recitari diebus a Rege convenientissimis ad hoc judicatis, ita ut ante diem XIII festi, & antequam comeatum impetrarent homines Regis, tota absolveretur earum lectio ea lege, ut qui præsentium vel per horulæ spatium sine venia Regis speciali audire neglexerit, loco moveretur munere excidens *cf. c. ult. seu 55.*

Quod denique ad historiam harum legum pertinet, primum in linguam Svecicam translata fuere, quam versionem oculis usurpare mihi non licuit. Inde à Regni Cancellario ARILD HVIDFELD anno 1594 in 4to edita, denique à Jano DOLMERO duplici versione Danica & latina notisque annalium Norvegicorum fide instructa & aucta prodierunt, lingua cum vernacula ad latus, & commentariis Danicis Hafniæ 1666 in 4to versio vero & illustratio latina, cura & sumptibus PETRI JOH. RESENI post fata DOLMERI Ao. 1673.

CAPUT II.

De jure publico veteris Norvegiæ.

Initium harum legum aulicarum, (HIRDLAGA) cap. I. dictarum a servatore Mundi JESU CHRISTO ducitur crucifixo, virginis Mariæ filio, vero Deo & homine, Regum Rege, ex quo omnis potestas, regimen & dignitas, & cujus tutelæ & defensionis perpetuo commendatur Rex Norvegiæ ejus homines (Sandgangsanna Manna) & omnes Christiani seu ceteri subditi, ex quo Regni Patrono, seu numine tutelari rectè antiquitatem harum LL. deducimus, cum hoc ipsum probet,

bet, natas illas ante ætatem superstitione & sanctorum nimio cultu omnia corrumpentem. Nam, ut ex Histor. Norv. posteriorum temporum clarum est, postea ipse Stus OLAUS Patronus Regni lectus est, inque ejus clientelam totum sese regnum contulit.

Regnum jure hæreditario, non electione Populi possidebat Rex Norvegiæ, unde hic suo loco inferitur tabula successionis Regiæ inter agnatos & cognatos usus plane singularis, numeris additis, gradus juris succedendi indicantibus *ex cap. 2 do LL.* auctore DOLMERO, jungitur interpretatio latina, ne opus esset Tabulas geminare.

R. Amita -- 4 R. Patruus - - - R. Pater - - R. Mater - - Matertera
 R. Fader -- 4 R. Fader Broder -- R. Fader - - R. Moder - - - Moder, Søster
 Søster



In qua palmarium filio naturali ante nepotem ex filia, nepotem ex sorore imo abnepotem ex fratre jure succedendi gavifum, adeoque nota caruisse, & pene legitimo è conjugio natis, æqvatum esse, quod in Dania quoque obtinuisse atque alibi passim probant exempla.

Jam vero gravissimo fato incumbente ita, ut nemo secundum Tabulam ex agnatis aut cognatis superfit, ordines Regni convenire debent Nidrosiæ. Archiepiscopus, Episcopi, procuratores Regii Systemænd nominabunt XII. viros uniuscujusque pagi (*Fylke*) principes quos secum adducere statim debent finibus ditionum, rustico custode, per Barones & procuratores nullo discrimine propriæ vel alienæ procuratiõnis contra fures & latrones accuratius munitis, ita ut verus proditor Patriæ Landrada Menn habeatur, cujus culpa pax publica illo tempore fuerit violata. In electione verò ipsa Nidrosiæ peragenda aliud observamus prudentiæ legislatoriæ specimen nobilissimum, quod a jure suffragiorum, quod solis indoctis *O-lerder Menn* laicis sc: competit juratis, exclusi Clerici teneantur juramento, quo se obstrinxerunt idiotæ, & si dissidium inter juratores fuerit ortum, tum demum accedant parti *sa-niori*.

Qui per factionem fuerit intrusus, eo ipso cum tota secta sua proscribitur & excommunicatur. Lex horrendi carminis:

Þha hafe hann fyregiort Fæ og Fride, lande og lausum ey-ri, og sie i Banne og Forbod, i alra heiligrá Manna, og sie eigi ad Kirkiu græfur: 3: tum perdiderit opes & pacem, terram & supellectilem & erit in execratione & interdicto apud omnes san-

sanctos viros, & non humabitur in cœmiterio. Qui comitia jussi adire neglexerint, si aulæ rectores vel Aulici, proditionis; si rustici multæ pœnam subeunt, Feudales focii (som hafve tilforn af Kongens Gods) propriis sumtibus, ceteri a Rege electo postea refundendis comitia adeunt, ex *cap. III.* atqve & ita huic casui occurrit Veterum prudentia legislatoria.

Quænam hæreditas proximis fœminis pariter ac Masculis familiæ Regiæ adiri possit, docet caput 4^{tu}m nempe, quod sola pecunia causa fit (løse Venge) pretiosa Erfdagull & prædia hæreditate aut numerata pecunia acquisita, & quæ non cum aliis coronæ bonis (Domalnen) Tassel-Gütter, quæ a propriis Regis distingvuntur, permutata aut eorum divenditorum pretio empta non fuerint, & præterea neque regnum ipsum, quod indivisum manebat, neque domania erciscundæ familiæ postulari poterant. Svadent tamen legislatores, quò mala, quæ ex diviti hæreditate oriri plerumqve solent, evitari possint, viventi Regi & sano potius, quàm ægrotanti & moribundo hæc donationes mortis causa, seu hanc de bonis dispositionem.

In coronatione Regis (Kongs Tefin, Hysding) nil singulare *cap. 5^{to}.* occurrit, quod non in aliis quoque illius temporis observetur de pompa, Aulicorum ornatu militari, cruce prælata & reliquiis Sanctorum, nil attinet dicere, missa de Spiritu *Sto* & collecta ad ad altare in foro (Thing) *Deus in te sperantium fortitudo*, decantabatur Regi futuro (Kongs Efni) ad verbum (Kongs Efne) *facultati Regiæ*; Insignis verò præ ceteris

ille habebatur, cui (interdum etiam Rustico honoratiori) contigit illa dignitas salutandi primum regio nomine coronatum, dicebatur at leggja aa Kongs Esui Kongs nafn: *imponere vel dare ei nomen regium*, quod peragebatur solenni hacce forma: *Regium nomen (quod Deus tibi dat, ad quod natus es & ab omnibus incolis electus & sumtus es secundum legem Sti. OLAI) impono, do tibi N N. loco Dei & omnium eorum, qui sub tua potestate sunt constituti, cum tali honore & regimine, quod illud sequi debet, super omnem Norvegiam terrasque tributarias (Skatfondum) ei subjectas in nomine Patris, Filii & Spiritus Sti, & sic primum in thronum a Purpuratis & Episcopis sublevabatur Rex, Doctis: Te Deum laudamus, indoctis: Kyrie eleison, concinentibus. Hinc homagia adferuntur Ducis seu Comitibus cap. 7. Beneficiariorum Satraparum & Moderatorum Aulæ cap. 8. Rusticorum cap. 9. hominum Regis tam simpliciter fidelium & Aulicorum, Handgingnum Mennum; dextra data fidem obstringentium quam militarium tactu gladii (Svertafarar) investitorum cap. 10. quo demum solennia coronationis absolvuntur. Unde patet, hæc capita omnia ad coronationis Regiæ nempe *stum* referri debere atque malè in codice esse divisa.*

Juramentum etiam, quod in coronatione præstare debebat Rex, & cap. 6to. hic exhibetur, nihil supremæ ejus potestati derogat, nam idem vel Princeps quisque alius nostro tempore, si conveniret religio, jurare possit: Hoc DEo promitto & Sanctis ejus omniqve Populo, cui indignus sum præposi-

positus , me conservaturum fidem legemque Christianam , quam incepit Stus. OLAUS , & in quam alii ejus successores legitimi consensere , inter Regem & incolas terræ mutuo consensu , bonorum virorum consilio prudentiaque illa , quam DEUS mihi concesserit , emendaturum aucturumque. Solennia coronationis HAGONIS HAGONIS (Hagen Hagensons) legi possunt apud DOLMERUM pag. 51. & sequ. Sequioribus temporibus longè alia & Majestati Regiæ iniquior juramenti formula a Clericis , ut patet , novis Regibus fuit obtrusa , quam ex Chron. Norv. appositè exscripsit DOLMERUS pag. 56. *Profiteor & promitto coram DEO & Sanctis ejus , a modò pacem & justitiam Ecclesie DEI , populoque mihi subjecto , observare , Pontificibus & Clericis , prout teneor , condignum honorem exhibere , secundum discretionem mihi a DEO datam , atque ea , quæ a Regibus Ecclesie collata ac reddita sunt , sicut compositum est inter Ecclesiam & regna , indelebiter observare , malasque leges & consuetudines perversas , præcipuè contra Ecclesiasticam libertatem facientes abolere , & bonas condere , prout de consilio fidelium nostrorum melius invenire possumus.*

De potestate Regia peculiariter in LL. nihil dicitur , quantum autem ex sæpius repetita earum lectione constat & argumentis certissimis , hinc inde sparsim collectis , evincitur , Rex Norvegiæ absolutæ , quæ vel maxime illa tempestate fingi potest , potestatis

mero

mero & pleno jure gaudebat. Totum regnum allodium Regis appellatur *cap. 13.* Ehui at hanc Erge og odal er alt Landet : *nam ejus possessio & allodium est tota terra.* Diceret, licet minus adæquatè Regnum patrimoniale vel in patrimonio Regis. Ut enim antea docui prædia hæreditaria Regis Erse Eigner a Regni prædiis, Kongdomsins jardeſ seu *domaniis* accurate distinguuntur. *cap. 4.*

Jus vitæ & necis excercebat per Missos Regios: Gestir Norv. Giester Dan. ad verbum hospites *cap. 43.* Jus ut vocatur aggratiandi per Hirdvift ab Hird, aula, & vift, monstratum, certum, salvus conductus est aulæ declaratus, sicut Landvift diploma Regis est rustico aut incolæ in securitatem concessum atqve omnibus incolis exhibendum *cap. 29.* Jus collectandi seu tributa colligendi per Procuratores regios (Systu Menn Norv. Systemænd Dan., hodie Amptsforvaltere) quorum officium & literæ reversales legi possunt *cap. 35,* quod vide. Ubi quoque in fine capituli agitur de castellis munitisque regni urbibus perpetuo carceri, myrkua Stofur Norv: den mørke Stofve Dan.: & custodiæ facinorosorum destinatis. Multas & bona publicata seu *confiscata* colligebant Regis nomine Missi regii seu Gestir *cap. 43.* quibus auxilio esse debebant beneficiarii Satrapæ & procuratores regii & mutuas manus porrigere *cap. 43. sub finem.* Jus belli & pacis, quo gaudebant Norvegiæ Monarchæ, loquitur omnis historia & certus finibusque militum numerus, quem alere, semperque paratum habere tenebantur Vasalli: Dux, Comes Benefi-

neficiarius & Procurator, ut per totum codicis volumen clarè monstratur, & suis locis in Jure Feudali postea docebitur. De *jure Monetæ* ne vola quidem aut vestigium superest, cum rarus adeo illis regionibus fuerit monetæ usus, & aliunde per virtutem bellicam, solertiam, ac itinera maritima satis signati auri argentiqve possent acquirere. Neque verò summi imperii Schemata neglexerant Veteres Norvegiæ Reges. De *Coronatione* superius dictum. Prodeuntibus in publicum à dignissimo quoque Vasallorum Aulicorumq; qui aderat, præferebatur *gladius inauguralis*, *Bigflus Sværd* Norv., *Bielse-Sværd* Dan. *cap. 18.* qui mos hodie etiam in Anglia obtinet. Iter facientes (uti & Duces & Comites, nisi Rege præsentem, tum enim vexilla demittere debebant) præcedebat *vexillum* illis *Merke cap. 12. & 16.* initio. Sicut domi cum esset Rex, omnes stantes ei ministrabant, unde quodvis ministerium aulicum ad *halda Stødu* Norv. at *holde Stod* Dan. aut at *holde staaende Dypartning*, ut *cap. 30. & 51.* *stantem apparere* significatione expressa veteris lingvæ indicatur. Ita bibere desideranti *ingenua procumbens*, *poculum ministrabat* *Archi-Pincerna cap 23.* quod hinc forte ad alias gentes manavit.

Ad jus Publicum, cujuscunqve demum regni fuerit, merito refertur accurata limitum finiumqve ejus descriptio, quæ & hic locum inveniret, si ulla hujus in LL. hisce mentio exstaret, aut exterorum, quibus imprimis scribo, interesset veteres Norvegici imperii fines cognoscere, nostrisve hominibus essent

ignoti. Majoris est illa, quæ passim, ut *cap. 5. & 14.* in *Hirdsraa* observatur, *distinctio* ditionis Norvegicæ in regnum ipsum & *Skatlande*, terras tributarias, cum quidquid insularum inter polum nostrum Hiberniam, Scotiam & Norvegiam mari alluitur, etiam proximè in ipsis Scotiæ Angliæque litoribus, Norvegici fuerit juris atque ditionis. Grönlandia seu insula sit sive continens, longissimè in arcum protensa agnovit imperium. Inter insulas præcipuæ fuere primo *Hebudes*, *Ebudæ*, Norv. *Guderoer* Scotis *Westerne Iles*, quas subegit Norvegiæ Rex Magnus *Barfod* ☉: *nudipes*, quibusque duos Reges clientelares: Magnum *Menabiis* vel *Manadiis Manœr*, *DUGALIUM* *Ebudis* *Guderoer* præfecit. Unde liquet, Reges Norvegiæ etiam jus appellandi Reges exercuisse, sicut etiam R. N. *SIGURDUS* *Jorsalasar* ☉: *Hierosolymipeta* Comiti Siciliæ primus nomen Regis imposuit. De *ROGERIO* Siciliæ Comite ita loquitur *THORMODUS TORFÆUS* *Hist. Norv. parte 3. L. 8. c. 1. pag. 451.* *Hic SIGURDUM* Regem, qui ibi diutius morabatur, ad convivium invitatum, omni magnificentiæ genere, prolixoque benevolentiæ declarandi studio, cum numeroso comitatu excepit. Ipse singulis diebus ad mensam ministri partibus fungens, in septiduum illud officium produxit. Tandem die octavo, cum illato pollubrò manus convivæ lavissent, *SIGURDUS*, apprehensa Comitis manu, eum in Solio apud se collocavit, Regemque pronunciavit, jussitque ut in posterum Regio titulo jureque Siciliæ imperaret. atque eos

eos aulæ Imperatoriæ nimium adularier, qui soli Imperatori Romano-Germanico illud adscribunt. Præterea Comitatus titulo regno parebant *Orcades*, cum vicina Scotiæ septentrionalis provincia *Cathenesia* & insulis *Hietlandicis*.

Atque ita in omnes subditos, cujuscunque conditionis, ordinis, dignitatis & nominis fuerint, imperium Regis summum cognoscimus: *Duces*, *Sertugar*, *Comites*, *Jarlii*, *Barones* seu *Herfer*, *Huskarlii*, *Hirdmenni*, *Fylgdarmenni*, *Magistri aulæ*, *Hirdstiorar*, ut *Stallarius* 3: *Marescallus*, *Merkis-Mannus* seu *Bannerius*, *Cancellarius*, *Drotsetta* seu *Dapifer*, *Pincerna*, *Skienchere*, *Satrapes Beneficiarii*, *Læns Mand*, *Skutellarii*, *Skutilsveinar*, *Gesti* seu *Missi regii*, *Kiertesveinni*, *Sysle-Manni*, *Bondones* seu incolæ proprietarii jussis parere & mandata exsequi tenebantur, ex his quædam nomina generalia sunt, & omnibus hominibus Regis communia, ut *Huskarle*, *Hirdmenn*, *Fylgdarmenn*, quædam *Magistratum* & *Ministorum* regionum inter subditos dignitatem indicant, ut *Sysle-Mand*, quod simpliciter *Præfectum regium* certi tractus nomine regio justitiam administrantem, militem gregarium colligentem & tributa exigentem notat, ut *cap. 35.* docetur, ubi *pag. 262.* quot milites certæ quædam Provinciæ præstare deberent, præscribitur, ut ex *Valders* & *Hadinge Dal* 40. ex *Nomme Riige* 12. ex *Hedemarkia* 22. ex *Hadelandia* 22. ex *Guldbrandsdallen* 16. *Ofstredallen* 5. &c. Sic *Bondonis* nomen, quo agricolam vel rusticum notamus, non contemptum adeo & vile olim, ut nunc est, *Lantsaticum* etiam nobilem interdum sanguinis regii significat, qui-

que plura prædia opulentus araret, ejus juramentum, Eidstaff, quo se obstringebat Regi, legitur *cap. 9.* *Alia omnia*, quæ hic occurrunt, dignitatum nomina, naturam quandam Feudi aut *militaris* aut *aulici*, *territorialis* aut *Cavenæ*, seu in Corte Domini induisse videntur, de quibus sigillatim postea. Erat autem Regi *liberum feuda conferre, mutare, eripere, penitusque abolere*, quod ultimum prudenter admodum, præcipuè quod feuda spectat vexillifera, atque territorii clausi fecisse videntur sequentes Norvegiæ Reges, cum potentiam regiam validè imminuant hujus conditionis feuda, ritè etiam, ne fierent hæreditaria, summa ac omni cura caverunt. LL. quæ sequuntur, feudales.

CAPUT III.

De jure feudali veteris Norvegiæ.

Investitura Ducis (*Hertuga*) *cap. XI.* qui esse debet ex familia regia, as rietri Konga Ettini sommin, ita peragitur, Convocatis signo tubæ omnibus Regis hominibus & foro frequenti scamnum ante thronum regium occupat futurus Dux &, oratione in hanc rem ab illo, quem Rex constituit, habitâ, ipse Rex surgit & sequenti formula dignitatem & nomen ei confert: *Quod nomen Deus tibi largiri voluit N. N. loco Dei ex potestate, mihi ab eo concessa, tibi do atque confero, & concedat, ero, tibi Deus gratiam comitatam omnibus rebus, quibus indigere te videt, præcipue ad hosce novos honores (sibi int. capessendos & rite implendos) mihi in gloriam & levamen, tibi in incrementum & incolumitatem, omnibus tibi*

tibi a me per providentiam divinam subjectis, in pacem & tranquillitatem. Inde data dextra in throno apud sese collocato gladium tradit Rex cum expositione hujus symboli, & vexillum, quo tradito, obstringit omnes eius fidei commissos ad eum fideliter & obedienter sequendum, hæc stans peragit Rex, hinc sacramentum dicit novus Dux, quod exhibetur cap. 7. *In hoc sacro* (codici sacro antiquitus, postea scrinio reliquiarum Sti Olai opulentia immensa) *impono manum, og thui skyt eg til Guds & in hoc ad Deum provoco vel ad ejus tribunal* (non ut DOLMERUS: Deoque causam meam commendo) *quod Domino meo Regi Norvegiae N.N. clam & aperte integer & fidelis futurus sim atque servaturus Feudum* (Læn:) *quo a Rege sum investitus* (sem Kongr veiter mæ) *ea fide, ea conditione, quam inter Regem & Ducem seu Comitem constituit Magnus Rex, Regis Haconis filius. Omnem ei obedientiam, quam bonus Dux aut Comes bono Regi præstare debet, deferam. Eum regnumque ejus bonis consiliis & pro virili firmabo. Omnia juramenta, quibus aliquid incolis promisit Rex, pro illa, quam Deus mihi concesserit, prudentia servabo, ita veraci propitius adsit Deus, mendaci iratus. Dignitatem ducalem, Hertuga Semdir, cap. 12. indicabat vexillum, quod iter terræ marique facienti præferatur, & summa pariter ac infima, quam in terris ei conceditis exercebat, jurisdictio; Regem autem pluribus, quam 4 viris, Fylgdarmønnen, stipatus adire non audebat, aut ultra 6. comitator incedere, plures, quam Rex præscripserat, milites cogere, aut terras in feudum ab Rege concessas aliis dare, nisi in subfeudum, quamdiu earum penes eum esset potestas, alios Vasallos aut homines &*

ultra præscriptum a Rege numerum, nisi eosdem vel-
lent *perduellionis*, Landrada Menn, *reos* argui, assumere,
pedem sine venia Regis regno efferre, sædus cum ejus
inimicis pangere, exosos Regi in clientelam recipere,
interdictum Duci atqve LL. prohibitum. Præterea
eodem capite de auxilio mutuo, statione & vigiliis ho-
minum Regis ac Ducis ordinandis agitur, ut & de judi-
ciis Regem inter & Ducem, qui, ubi Feloniæ fuerit
convictus, omnes, qui postea sectam ejus sequuntur, fa-
cit *Obota Menn*, *o: capitali pœnæ certissimè obnoxios*, ab o-
privativo, & Bot, lytro & Mand, quasi velles dicere, eos
redimi a morte non posse, aut nulla prece, aut pretio
liberari, certissimæ mortis candidatos.

De COMITIBUS, JARLAR, dictis (quod *Farl*
Angl. *Earle* originem dedit) agitur *cap. 13. 14. 15. & 16.*
ex cap. 13. constat, Comites Norvegiæ triplicis fuisse di-
scriminis. Vel enim ex gente regia fuere, vel ob fi-
dem & merita in illud fastigium evecti, vel denique
cap. 14. (ubi legum veterum nonnullarum & *Comitis Is-*
landiæ occurrit mentio) sub certo canone annuo infulis
tributariis præpositi. In regno enim Norvegico nullæ
certæ Provinciæ erant comitatibus destinatæ, sed jam
hæc, jam illa provincia pro lubitu Regis & arbitrio, ne
sc. naturam hæreditariorum induerent, in comitatus
erigebantur, certissimo prudentiæ politicæ argumen-
to, ita ut interdum planè sublatis fuerint comitatus,
cum, multis imperantibus, deterior maximè reddere-
tur subditorum conditio. Investire autem Comites
eodem penè, quo Duces, modo solebat Rex Norvegiæ
per formulam nempe solennem, datam dextram & ap-
prehensam & collocationem ad sedem regiam, quod ex-
poni-

ponitur ita, at settia hann i Haasate, ut fra syn Haasatte, traditionem *vexilli & gladii*, unde & hi Everttagere æqve ac Duces, a Rege stante collatam, Comite deniqve eadem juramenti formula, qvam in investitura Ducis attulimus, fidem suam & obedientiam apud Regem obligante *cap. 15*. Qui Comites veteris Norvegiæ noscere avet, adeat DOLMERUM in notis ad hunc locum, ubi prolixum satis nobiliorum inqve historia Norvegica notissimorum catalogum texit. Conditiones eadem & leges, qvæ Ducibus superius dictæ sunt, scribuntur Comitibus *cap. 16*. De BARONIBUS & HERESIS parca admodum exstat mentio in hisce LL. neqve ulla eorum investitura memoratur, dignitate vero & ditione non multum Jarliis inferiores fuisse perqvam probabile est.

Lensmannos Beneficiarios interpretor, seu proprie *Vasallos*: prædia enim & arces in feudum iis concessæ, proprie *Len* dicuntur, qvòd à *Len*, mutuo, est, adeoqve beneficii nomine optime indicatur, de Lensmannis agunt *capita 17, 18 & 19*. proxime sunt à Duce vel Comite, atqve etiam Evertttasarar, s: *gladio fidem jurantes* (utpote *scuto & gladio* à Rege investiti, qvòd exemplo patet ipsius Sti OLAI v. notas DOLMERI Danicas *pag. 117.*) & Duce vel Comite absente gladium inauguralem Regi præferunt, investiuntur ipsis summis feriis anni, ut tempore natalitiorum Christi & Paschatos, & Psalmo vel hymno ad mensam decantato, cum sellam occupat Rex, ita proclamatur: *Si ita viderur, Rex hunc virum NN. plurimis bona fama ob meri-*

ta notum, ad majorem honoris gradum & dignitatis titulum, Masu Bota, qui summus est in aula, vult provehere cum nomine Lensmanni & omni iure, quod nomen Lensmanni sequi debet, hoc ei plenè concedit cum gratia divina & jure Lensmannico, quod stipendium, Bezla, est 15 marcharum (si simplices marchas intelligit, erat $7\frac{1}{2}$, si Lodie Martè, erat 120 imperiales) hinc jubente Rege a duobus aliis Lensmannis, vel Stallario cum Merkismanno, Pincèrna vel Drotsetta adducitur ad thronum, & à Rege ipso ad dextram collocatur. Juramentum eorum & aulæ Magistrorum cap. 8. legitur: *In hoc sacro impono manum, & in hoc ad Deum provoco, quod Domino meo Regi Norvegiæ N. N. clam & aperte integer & fidelis futurus sim. Eum regnumque ejus bonis consiliis & pro virili firmabo. Omnia juramenta, quibus aliquid incolis promisit Rex pro illa, quam Deus mihi concesserit, prudentia & intelligentia servabo, ita veraci propitius adsit Deus, mendaci iratus. Permittitur iis 40 armatos sub nomine Hústarle in suam securitatem & Regis auxilium & gloriam sibi legere, neque tamen illum numerum excedere sine venia Regis. Possessiones in Feudis sibi concreditis ob crimina publicatas sibi non vindicent aut vendant, cum nemo possessiones suas juste, nisi per Deum & Regem (quod notabiliter additur) possit ob crimina amittere (syregora.) Si in suspicionem perduellionis apud Regem inciderit, Regis est & aulæ de hac re judicare, & 12 pares curiæ a Rege lecti, de perfidia ejus anquirant &c.*

Ejusdem cum Lensmannis juris & autoritatis erat summus Regis in aula Consiliarius, CANCELLARIUS, qui etiam sigilli regii custos & regionum reddituum

Præ-

Præfectus, cujus officii ratio ex unoquoque Jure Publico peti potest. Feudi aulici nomine præter pecuniam ex diplomatum signatione redeuntem, quotannis à Rege accepit 20 Markæ-Bol, quod agrorum certa est mensura & Feudum pro genio istorum temporum satis lautum (non ut in latina versione & nostro inde descripto compendio 15 marchæ) Investitur autem hoc modo convocatis omnibus Regis hominibus declaratur, *Regem huic N. N. sigillum suum cum omni honore, qui sequitur illam dignitatem, credidisse, atque ita in genua ante Regem procumbens Cancellarius, qui illis temporibus plerumque erat Clericus, sequens sacramentum dicit; In hoc sacro impono manum, & in hoc ad Deum provoco, quod Domino meo Regi Norvegiæ N. N. clam & aperte, ubicunque terrarum fuerit, secundum intelligentiam, quam Deus mihi dederit, integer & fidelis semper sim mansurus, occultabo, quæ tugi jusserit, ita me Deus juvet & sacrum ejus verbum, cui manus impono.* De Cancellario in lege notabiliter dicitur, quod sit *alter Regis Confessionarius*, Hans Skriptasador, & eodem cap. 20 de veris duobus CONFSSIONARIIS seu Sacerdotibus aulicis sermo est, quorum officium nemini potest esse ignotum. Salarium vero annuum uniuscujusque erat 5 marcharum & duo vestimenta tempore natalitiorum Christi, cum dimidia 3tæ partis decimarum hominum Regis, unam Episcopis, alteram valetudinario Verne 3: Hospitalet i Verne, sibi vindicantibus.

Jure & summo dignitatis in aula gradu succedit Lensmannis & Cancellario STALLARIUS (Stallere, a Stald, eqvili) & respondet aliarum gentium Cone-

Stablio & Marefkallo, utpote qvi inter Magiftros aulae & Moderatores primus cluet. Post hymnum ad mensam Rex omnibus notum facit, *quod huic viro Rex illam dignitatem concefferit ritu antiquo*, & a duobus Skultsvennis adductum ipse Rex, data dextra, in fede Stallarii collocat. Idem cum Lensmannis iuramentum praestat, os Regis audit, in aula & in foro, causas Aulicorum cognoscit & componit Praefectus stabuli & equitatus, individuus Regis Comes, eodem vestitu, iisdem armis conspicuus, ut in KOLBEINO Stallario OLAI TRYGVINI aliisque videre est. Si vero aut Praefectura, *Sysel*, aut Feudo, *lea*, a Rege donatus fuerit, cura iumentorum Regis, *Reidsfiotum Norv.* Nunc *fiods Dan.* inferiores aulae ordines manet. Inter Regis MAGNI *privilegia*, *Rietter-Bøter*, data Stallariis, sunt numeratae pecuniae *ex Corte Regis* 15 marchae, & quovis natali Christi *binæ mastruce* seu vestimenta pellita, to *klæder med graa Skind*, cap. 50. Digna est, quae hic locum inveniat, observatio DOLMERI, quod in ditione *Eiderstædiana*, nostris temporibus Stallarii nomen adhuc sit in usu ei, qvi & Praefectus & Iudex est ejus provinciae nomine Principis.

Excipit Stallarium MERCHISMANNUS *Vexillarius regius* cap. 22. inter aulae Magistros ei proximus, qvi cum aliorum *Banneriis*, *Banner-Herrn*, convenit & a *Mercke*, *vexillo*, *Fane*, nomen accepit, a qua voce etiam *Marchiones*, *March Graf*, *Marquis*, Germanorum, Italarum & Gallorum descendere potius auguror, quam a *March*, *limite*, cum absonum sit & rationi contrarium, tot limites unius imperii aut regni unquam fuisse, quot

inve-

inveniuntur Marchionatus aut Marchionum familiae, probabilius certe est a vexillo concredito, illos & terras nomen ducere, imo dignitati eorum convenientius reor, cum Merchismanni inter quatuor summa aulae fuerit officia non ultimum. Memorabile est, quod haec moneant LL, summa cura & solitudine debere Regem Merchismannum sibi legere, quem investire solebat, convocatis tuba omnibus hominibus Regis, & alligato hastae, Stangen, vexillo, Merche, in jus Lensmanorum & Stallarii recipere, traditumque a Rege vexillum, dato ejus dextrae osculo, servare, & pace pariter ac bello Regi praeferre, eodem in domicilio cum Rege semper cubare, eademque navi vehi tenebatur. Rex MAGNUS HACONIS in privilegiis suis Merchismanis X marchas in Feudum annuum concessit, & immunitatem a ministerio aulico, Stod, cap. 51.

Inde sequuntur post Merkismannum titulo & jure proximè intra aulam eum impellentes SKUTILSVEINAR Dapiferi, utpote Magistri aulae, qui dicuntur aequo jure cum Lensmannis, Stallariis & Merkismanis, quique merito Equites, Nidderrar, nuncupantur & nomen accipiunt a Skutil, patina (unde Germani adhuc retinent Schüssel) & Sveinar, Ministris. Officium horum aulicum pariter ac militare erat, mensae Regum ministrare, & eorum latera in bello tegere: proximè accedit eorum dignitas ad nostri temporis Kammer Juncher, seu Cubicularios, ut vocantur. Investendus adducitur jussu Regis a Pocillatore, Stienferen, accumbente adhuc post epulas Rege, & al-

latum a Pincerna, Dapifero vel Skutilliariorum alio-
vas vacuum cum operculo, totum ferofat, e manu Regis
 ansam tenentis ambabus suis ansam amplectitur, oscu-
 lum dextræ Regis figens & actutum abiens Regi infun-
 dit atqve ministrat. Aliis, quàm Regi & illis, quib-
 us iusserit, Primatibus in genua procumbentes mini-
 strare non debent potum *Skutilsvoenni cap. 23.* Horum
 duo per singulas septimanas vices officii sui implere
 tenentur, legem modumqve dare *comitatui, Følge,*
 Regis, ferias, convivia, bella celebrantis, vigiliis
 disponere & servare, quæ omnia lectu sunt jucunda
cap. 24. Jam verò *ex Skutilsvoennis* aut aliis, si pla-
 cuit, prius in Hirdmannum & Skutilsvennum creatos
duos legebat, quî inter Skutilsvennos agmen ducerent.
 ARCHIDAPIFERUM nempe Drotsetta Norv. (Drotset,
 Dan. (fortè a Drot, Domino, Rege & sette, pono,
 quasi qui Regi apponit sc. escam) ARCHI-PINCER-
 NAM, Skinstara Norv. Skienkeren Dan. quorum officii-
 um erat de omnibus ad mensam regiam pertinentibus
 disponere, quique cum Stallario & Merkismanno qua-
 tuor summa ministeria obibant *cap. 25.* Idem jura-
 mentum præstabant cum his & Scutilsvoennis *cap. 8.*
 His indulfit quoqve MAGNUS Rex immunitatem a
 Stod, ante computationem, & sedem honoratiorem
ad interiùs scamnum aulicum, Hirdpall, cap. 52.

Notatu dignum est omnia aulæ officia etiam fuisse
 militaria, cum totus status ad rem militarem fuerit
 compositus, ipsa adeo Consiliariorum Regis. Eos e-
 nim per HIRDMANNOS proprie ex investituræ præro-
 gativa præ ceteris intelligi reor, cum communiter alio-
 quin

quin omnes aulici ea appellatione veniant. Eorum investitura per *gladium inauguralem*, Viglu: Svard, celebratur (nam omnes hactenus memoratos, si Cancellarium exceperis, eodem modo creatos fuisse reor) ejus manubrium in dextro Regis sedentis femore eminebat, Chirotheca ejus ferrea tegebat manubrium, quod dextra amplectebatur, investiendus in genua ante Regem prostratus, in scabello pedum vel pavimento ambabus manibus dextram Regis & ensis manubrium circumdans, manum Regis exosculatur, hinc in pedes erectus, supra traditum a Rege codicem sacrum solennem *juramenti formulam*, Edestaff Norv: Eedstaf Dan: pronunciat, in qua hoc singulare atque in aliis juramentis allatis non obvium observatur, quod promittat *se sequi velle Regem in regno & in Exteris nulloque in loco sine venia & permissione ejus ab eo discedere, nisi urgentissima flagitaverit necessitas*, peracto juramento rursus in genua procumbens, ac complicatas manus regiis inferens, osculo ejus excipitur (quod nulli ex superioribus contigisse legitur, ne quidem Duci, unde hos veros dicere licet Regis Soldurios (demum a Skutil-Svenno, cujus tunc vices sunt, per manum circumducitur, ab unoquoque Lensmannorum & Hirdmannorum ei assurgente, osculo in eorum gregem recipiendus *cap. 30.* Majorem eorum investituris splendorem adhuc concessit, & illius celebritatem auxit MAGNUS legum emendator, cum in privilegiis largiretur illis coronam regiam tangere, dum osculo Regis exciperentur *cap. 57.* De eorum commeatu seu venia discedendi, Orloff, a Rege impetrata legi potest *cap. 33.*

Nullum hujus juris caput est, quod nostram æquè mereatur attentionem, majorem antiquitatis præ se speciem ferat, atque clariorem lucem in antiquitates germanicas publicas & feudales ex se diffundat, quàm cap. 42. & seq. quod agit de *Missis regii*, ita enim GESTER interpretor, proprie Hospites, qui legatorum, Inquisitorum, speculatorum munere fungentes, & perpetuo in itineribus occupati, creberrimè hospitiiis uti, & in cauponis divertere cogebantur, Gest & Giest, hospes est, verba legis sunt pag. 312. *Thi heeder de Giester, at de hasver paa mange stæder Giestning, som de fortiener ingen tak. Ergo Hospites appellantur, quod multis in locis illis sit hospitium, ubi nullam ineunt gratiam.* DOLMERUS minus adæquatè Legatos vocavit, Germanis in usu fuere veteribus *Missi*, ut dicebantur, *regii*, ut synodo Bavarica sub TASSILONE Bavaricæ Duce tempore Caroli M. celebrata pag. 140. *Cum Missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant obstrictè quæsitum &c. & infinitis locis aliis.* Hinc eorum retinui appellationem; facile autem adducor, ut credam eosdem Gestos quondam in usu fuisse Germanis, inductus loco OTTONIS FRISINGENSIS *Frid. 1. c. 31. apud Pardulph. Præterium in Lex. jurid. S. v. Solidarii. Ubi; omnes pene tetri, de Ungaris loquitur, tetris armis procedunt, nisi quod jam ab HOSPITIBUS, quos nunc Solidarios dicimus, educati, Principes & HOSPITES nostros in splendore imitantur.* En veros Gestos & hospites Norvegiæ. Eorum dignitas proxime ad Hirdmannorum accedit, investitura pene eadem est, præterquam, quod nihil de osculo Regis, quo Hirdmannos dignabatur, hic occur-

currat; formula sacramenti eadem, legibus a rapina, furto, faminarum violatione & temerario arcentur homicidio. Tempore pacis adhibebat eos Rex ad bona, fisco addicta, colligenda, quæ celare non debebant, ad captivos custodiendos, homines tollendos, in quibus negotiis auxilio iis esse jubebantur Beneficiarii Satrapes & Præfecti, *Syllemænd*, cap. 43. Intra aulam conditio eadem erat Gestorum, quæ Hirdmannorum, ejusdem collegii, *Laug*, erant, in expeditionibus navalibus, in proximis circa Regis navem navibus vehebantur, vigiliis & excubias terra marique circa Regem obituri cap. 44. § 45.

Ultimum locum inter Aulicos nobiles occupasse videntur *Tediferi*, KIERTESVEINAR Norv. Kiertesvenne Dan. a *Candelis*, Kierti Norv. Kerte Dan. in festo natalitiorum Christi gestandis sic dicti, cum pueris nobilibus hodiernarum aularum, Pages, eos componere soleo. Erant enim Juvenes & puberes *nobilitatis exploratæ* § *certæ*, a godum attum, & creabantur, remotis mensis, cum aquam (lavandis sc. manibus) arriperet Rex, protendat vero manum super mensam, quam osculatur investiendus, *juramento supra codicem*, *Bofar Eid*, præstito, unde eos, ut *Handgangne*, a Vasallis ceteris, *per gladium creatis*, *Sverdtagere*, expressis verbis ipsa *distinguit* lex, unde qui investitur, caput suum supra mensam inclinet, collo autem ejus Rex *spiram* (*Lycken*) *mantilis* injiciat, dum, cum *Drotsetta* Regi aquam præbet, si plures simul creantur, alii mantile, alii *pelvum*, *Munloger*, alii reliquum mensæ apparatus teneant ferant-

rantque. Comitatum Regis in bello ac pace cum Hirdmennis augent, munia cum iis & Gestis partientes *cap. 48.* Omnibus hominibus Regis in constitutionibus suis Rex MAGNUS HACONIS dedit libertatem epularum & comotationum in *vigiliis natalitiorum Christi, Kveldinn um Joll, & in memoriam Sti O-LAI, Olafss minne, celebrandarum cap. 49.*

Cetera, quæ in hisce legibus occurrunt, non spectant ad Publica & Feudalia, sed aut moralia sunt, non sane, ut ferebant illa tempora, inepta, sed antiquæ probitatis & simplicitatis, aut militaria sunt, & disciplinam respiciunt militarem, ita ut hic meritò præerire queam.



K

Anchersen, Hans Peder, 1700-
1765, praeses

.A539

Jus publicum et feudale veteris

IMS

Norvegiae :

